DISSERTATIO

MEDICA

ANIMADVERSIONES

IN

ANATOMIAM PATHOLOGICAM

SISTENS

QUAM

CONSENSU GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

PUBLICO BONORUM EXAMINI SUBJICIT

ANTONIUS FERDIN. FOWE

MED. ET CHIRURG. DOCTOR.

BEROLINI 1815.

TYPIS JOANNIS FRIDERICI STARCKII.

VIRO CLARISSIMO

ANTONIO WILBERDING

PHARMACOPOLAE MONASTERIENSI

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

IN

GRATI ANIMI TESSERAM

D. D.

AUCTOR.

Tempus incertum et periculi plenum tot malis nos turbavit, quo ipsa otii diu desiderati spes subtraheretur. Inter omnes enim anatomiae comparatae partes neurologiam praesertim multorum studio assiduo indigere conspiciendo, hanc mihi spartam olim elegeram, sed a proposito non solum otium protractum sed etiam sine quibus ejusmodi res illustrari nequeunt, tabulas sumtuosas postulante nunc quidem temporis desistere aliamque scribendi materiam eligere coactus fui. Neque inutilem tractandam invenisse mihi visus sum, qui tandem anatomiae pathologicae notionibus nonnullis generalioribus, de quibus inter auctores non constat, quoad vires ferunt, illustrandis has paginas consecrare statui.

Cap. I.

Num varietates in corporis sani utrum aegroti expositione anatomica considerari debeant?

Sunt quidem auctores anatomici qui corporis humani varietatem vix unam alteramve incidenter referentes illas generatim spectatas minoris habent momenti, eo vero nonnisi incuriam produnt.

Ex quo enim anatome resuscitari coepit et artis nostrae heroës naturae quam *Galeni* vocem sequi maluerunt, unius paucorumve corporum dissectione organismi normam erui non posse mox edocti varietates sibi obvias sedulo notarunt. Quos inter *Eustachius* excellit, quemadmodum inter recentiores *B. S. Albinus*, *Sandifortius*, *Soemmeringius*, anatomici summi. Tantum autem abest, quin viris tot tantisque praeeuntibus varietates nunc temporis satis cognitas et in libris anatomicis enumeratas habeas, ut potius minorem earundem partem traditam multo vero majo-

rem *) nondum expositam esse summo jure contendas.

Musculorum, vasorum et nervorum varietates novae neque paucae in theatro anatomico Berolinensi quotannis offenduntur. Musculorum aberrationes satis multas olim sibi visas cel. praeceptor duos ante annos descripsit: **) sed aeque multas et curiosas postmodum reperit.

Varietatum angiologicarum magna messis promittitur; de unica loquar arteria coeliaca, quae duplici trunco enata hinc in splenicam

---

*) Hoc de omnibus c. h. partibus, etiam de ossibus toties descriptis, valet.

Num in regionibus australioribus varietates corporis nostri saepius obviae sunt? *Rosenmüller* vir cel. tale quid suspicatus est, et *Rudolphius* praeceptor noster dilectissimus in militibus franco gallicis aliquot a se dissectis varietates musculorum plurimas reperit, quod tamen casu accidisse potest. Anatomici gallici varietatum maxime incurii sunt.

**) Dissertatio anat. musculorum varietates sistens praes. C. A. Rudolphi resp. C. F. L. Ganzer. Berol. 1813. 8.

et hepaticam, illinc in coronariam ventriculi abiens in theatro Berolinensi, eadem hyeme bis visa est; quid quod eodem illo tempore aliud cadaver coeliacam et mesentericam superiorem communi trunco sub diaphragmate ex aorta emisso fere duas lineas longo exortas obtulit. Nervorum varietates frequentissimae et quotannis novae reperiuntur. Praeprimis cutanei ludunt, ut nervus brachii musculocutaneus sive cutaneus externus eadem die tribus in cadaveribus maximam partem in medianum abire visus sit; rami cutanei ex peroneo et tibiali oriundi diversissimo modo decurrunt et coëunt; semel quoque praeceptor saphenum magnum ex obturatorio enatum vidit: sed aliis etiam inconstantia inest, ut theatrum anatomicum Berolinense plexum cruralem solito magis compositum et fere chiasmatum plexus brachialis aemulum eadem hyeme in utraque duorum cadaverum extremitate inferiore videndi copiam dederit, alia ut taceam.

Quo saepe accedit ut si cum clariss.

Meckelio *) casum frequentiorem tantum in anatomia corporis sani describere, varietates autem ad anatomiam pathologicam referre velles, de illo saepissime dubius fueris. Hepati arteriam hepaticam ex coeliaca solam tribui normam dicis, sed fere aeque sae pe alter neque raro major ramus, passim ex coronaria ventriculi sinistra, saepius ex mesenterica superiore oriundus additur. Renum arteriae fere aeque saepe multiplicantur ac simplices sunt. Rami encephalici nervi symphatici ex *Meckelii* anatomici olim celeberrimi descriptione longe aliter se habent ac *Fontanae* et *Girardio* visi sunt, quales anatomiae quaeso corporis sani, quales autem pathologicae insereres? Num musculus psoas minor, qui saepius deest, quam reperitur, ex libris anatomicis eliminandus et pathologiae reservandus erit?

Varietates omnium partium si ab anato-

---

*) *Handbuch der patholog. Anatomie. Leipzig* 1812. 8. p. V.

micis describerentur, descriptionum quae nunc obtinet diversitas mox tolleretur, simul autem tirones cadavera lustrando varietates sivi obvias intelligerent, neque de auctorum vel obscuritate vel erroribus toties conquererentur. Iidem porro ad varietates detegendas et comparandas hoc modo compelluntur et simul cognitionibus anatomicis optime imbuuntur.

Varietates e contra si anatomiae pathologicae describendas servares, anatomia ipsa splendore et utilitate magnam partem exueretur, quid? quod in partium saepissime variantium enumeratione simplici anatomicus falleretur et falleret. Anatomia pathologica autem si omnium partium varietates enumerare debet, harum numero absque fructu obruitur.

Omnes ei tum describendi sunt musculi passim accessorii vel saepe occurrentes saepius tamen deficientes, omnes vasorum nervorumque aberrationes, quas tirones vix nisi partium descriptione simul oblata intelligunt. Sic v. c. si ischiadicum nervum praeparatum

per singula demonstras horum varietates enumerando rem magis illustras et acceptiorem reddis, anatomiam pathologicam autem docendo illas si recitas, nil nisi taedium movebis, pathologici enim nihil inest.

Forsitan autem talia pathologicam anatomiam tradendo omittere, et graviores tantum aberrationes enumerare proposuisti, sed quaenam quaeso sunt graviora? An arteria haec pro illa quae nominetur magis digna est?

Varietates ergo generatim sumtas pro veterum more cum clariss. viri pace anatomicis enumerandas relinquerem, illas autem, quae pro morbi momento haberi possunt, anatomia pathologicae iterum inserandas ducerem, quae repetitio certe fructu non careret. Si anatomicus v. e. de arcu arteriae aortae illiusque vasis differit, varietates singulas simul exponet, ideoque etiam subclaviam dextram sinistro loco exortam referet; idem vero anatomiam pathologicum tradendo hanc varietatem de novo ob oculos ponet, quippe

quae pro dysphagiae cujusdam (lusoriae) causa (an merito?) habita sit.

Clariss. *Meckel* quidem varietates, dum a norma reflectunt, effectus esse energiae vis formatricis a solitis legibus aberrantis, ideoque ad pathologiam referendas esse opinatur, sed neutiquam probat. Plurimarum enim partium, uti supra exposui, varietates tam frequentes sunt, ut illarum norma auctores hactenus fugiat, neque ad has illasve nervorum copulas vel ad vasorum divisiones et plexus efficiendos naturam energia majore vel minore uti jure contenderes.

Quid? quod vim formatricem, simulac varietas oritur, morbose aberrare, tantum abest, ut omnes potius partes, tam externas (nasum v. e. aures etc.) quam internas citra noxam variare posse videamus, et ipsam illam vim quoad haec minus limitatam varietate dilectari et consistere dicas.

Vim varietatum quarundam morbificam has solas ad pathologiam trahere non posse, ceteris anatomiae relictis, dum vis illa saepe

non exseratur, quid? quod organorum destructiones plenariae absque morbis inde exortis observatae sint, aliud Meckelii argumentum speciosum forsan sed veritate orbatum.

Has varietates anatomiae, pathologiae illas tradi nunquam probarem, sed omnes, uti dixi, anatomiae traderem, illas autem quae pro morbi momento haberi possint in pathologia repeterem et uberius exponerem. Tales autem paucissimae sunt, quae enim plurimae toto die occurrunt (uti cuilibet occurrent sectiones iteranti) noxam nullam referunt, ut paucissimae ad anatomiam pathologiam faciant.

Omnes vero varietates connatae sunt, quae enim postea exortae dicuntur, illo nomine prorsus indignae et nonnisi morbi praegressi effectus habentur, ideoque etiam pathologo tantum considerandae veniunt, quo magnitudo morbose acuta vel imminuta, nexus alienus, interdum etiam situs mutatus etc. pertinent.

Verum autem vero partem ullam citra

noxam destrui posse clariss. viro nunquam concedam.

Omnes etiam minimas partes externas dummodo conspici possunt, simulac laeduntur malum inferre nullus certe negabit. Sic cutis quaevis laesio, omnis singularum oculi partium labes effectus certos prodit, cet. Qui ergo labes internas passim gravissimas alio modo se habere et effectu carere crederes? Cerebrum tamen magnam partem destructum durante vita nullo modo proditum, sed post mortem tantum detectum fuisse, auctores litteris mandarunt, idem de cordis, de hepatis, renum etc. labe toties retulerunt, ut res certissima videatur. Est tamen falsissima, quod facillime probabo.

Homines undique sani longe rarissimi vel fere nulli dantur, sed plurimi hac illave diathesi morbosa laborant, morbo vero sensim irrepente rarius de eodem cogitant, donec effectus manifesti produntur. Saepe etiam vel animi affectibus gravioribus agitati, vel laborantes morbo dolorifico mala minora insidias struentia ignorant aut spernunt et

negligunt, ut extispicia demum vim illorum lethiferam ob oculos ponant.

Medici quidem practici aegrotorum cadavera frustra (sic) a semet examinata saepe conqueruntur, examen autem invita Minerva, obiter et alia agendo institutum fuisse tacent, quo fit ut illorum sectionibus plurimis paucissima debeamus.

Ab altera autem parte, si organi cujusdam sub vita haud suspecti destructionem post mortem iidem reperiunt diagnosi mancae vel malo clanculum et sensim obrepenti non tribuunt, sed organon absque effectu nocivo destructum somniant.

Quoties saltem cerebri aliusve organi labem notabilem post mortem reperimus et in vitam aegroti anteactam inquirere licuit, toties etiam effectus malo tribuendos comperimus. Caveamus ne artis incertitudinem nimiam fingamus.

Cap. II.

Num corpora peregrina et entozoa in corpore humano obvia in anatomia pathologica consideranda sint nec ne?

Utique consideranda sunt. Illa quod attinet, saepissime quae medico scitu sunt dignissima docent. Catheteres et bacillos cereos in urethra et vesica relictos, nec non alia corpora hisce partibus immissa corticeque lapideo obducta taceam; nonne vero glandes plumbeae aliaeve partes in processu vermiformi saepe cumulatae nonne corpora ventriculi ingesta et tartaro incrustata, vel durissima licet passim tamen maximope mutata attentionem poscunt? Ipse saltem cur excludantur non video, licet *Meckelio* videatur.

Idem etiam de craniis hominum ictu sclopeti occisorum valet a clariss. viro pariter exclusis. Saepe ictus ille cranii tantum latus leviter impressit, suturae tamen discesserunt et destructio insecuta est ossium compagem

pagem et nexum anatomice quam pathologice mire illustrans. Interdum plumbum in ossibus tenerrimis v. c. ethmoideo relictum crusta ossea induitur, qualem vix ibidem oriri posse credidises; interdum magnam cranii partem percurrit et loco abdito diu remanet et sic porro. Quae omnia cum medicus non ignorare debeat, hujus disciplinae ope illis optime imbuitur, cui enim haec potius tradenda esse scientiae probares, ipse saltem non capio.

Idem de Entozois valet, quae a Zoologo historiam naturalem docente utique enumeranda et describenda sunt; statum morbosum autem, quo dato occurrunt aut quem excitant, Zoologus cum raro dijudicare et exponere valuerit, pathologus exponat necesse est.

Qui fieret ut anatomiam pathologicam tradendo renes suppuratos Strongylo giganteo habitatos, vel hepar Echinococco, vel cerebrum Coenuro, vel musculos Cysticerco cellulosae obsita, vel aneurysmata aut tubercula verminosa vel his affinia taceres? Scientiae pars sci-

tu dignissima et observationibus innumeris illustrata tironibus tum immerito subtraheretur; medicis saltem haec quam monstrorum expositio magis necessaria videtur, neque physiologo minus accepta erit.

Cap. III.

De anatomiae pathologicae divisione.

Divisionis momenta a viro praeclaro *) proposita maximique ut fit habita, utpote hypothesi arbitraria innixa tanti equidem non facerem.

Summum divisionis momentum in mutationibus formae sic dictis puris ab illis textura sejungendis constitit. Vereor autem ne saepius coincidant, et si puras vocaveris, quae primae sint formationis, has dijudicare saepissime non potueris. Sic v. c. foetus hemicephalici primum sane hydrocephalici fuerunt, quod praeparatorum Musei nostri series notatu dignissima luculentissime demonstrat;

*) L. c. p. XI.

a *Meckelio* tamen status hicce morbosus ad mutationes formae puras refertur cum ipso hydrocephalo quem formae tantum esse mutationem pauci crediderint.

Tumores varii foetubus familiares num primae sint formationis nec ne tuto effici non potest; quid? quod viscerum v. c. hepatis formae aberrantes in adultorum cadaveribus passim conspicuae num connatae sint nec ne saepe nos fugit et sic porro.

Secunda autem clariss. viri divisionum scilicet morbi formae ex vis formatricis energia vel nimia vel deficiente, aut anomalia quadam qualitativa oriantur, certitutidine prorsus destituitur, quo fit ut idem vitium huic illive caussae ab auctoribus promiscue adscriptum invenias.

Foetus gemelli coaliti v. c. ab energia vis formatricis nimia cl. viro derivantur, sed aeque bene ab aliis ejusdem vitiis derivari possunt: ex unico enim puncto saliente enatos nunquam staterem, qui saepe exigua tantum parte v. e. capitis vertice vel inferiori

spinae vertebralis parte coaliti sunt, et contra *Meckelii* sententiam *) duplici utuntur funiculo, neque clariss. viro semper organa ejusdem indolis confluere **) concedendum est: in Museo Berolinensi saltem monstrum alio modo comparatum occurrit, ubi scilicet alterius foetus dorsum abdomini alterius immissum est. Duorum potius foetuum primordia aut germina prima subito post conceptionem, aut conceptionis ipso actu se penetrare aut ita copulari ut crystallisatio (sit venia verbo) vel formatio singularum partium secundum illius duplicitatis obortae leges peregatur, est cel. *Rudolphi* sententia, quam ipse amplector.

Sic enim plurima, quae ab energia deficiente pendere dicuntur, nimiae forsan tribui

---

*) L. c. p. 67. Einfachheit des Nabelstranges, welche man in *allen* Fällen ausdrücklich bemerkt findet.

**) L. c. p. 26. „immer hängen nur die Organe, welche bey normal gebildeten Individuen demselben System angehören, mit einander zusammen, nie sind verschiedenartige mit einander verschmolzen.“

possunt, aut erethismi saltem in languorem abeuntis ratio et in monstrosis producendis efficacia nos penitus latet.

Adde quod divisionis ipsius ratio logicae contraria sit; ad primam enim classem deformationes pertinent ab energia deficiente oriundae, ad secundam ab energia nimia pendentes, ad tertiam quae a neutra praecedentium derivari possunt (v. c. situs mutatus;) his quartum addi posse nemo fingeret, aut enim formatio ab energia nimia aut deficiente pendet, vel non pendet: attamen quarta clariss. viro placuit, scilicet formationum hermaphroditicarum. Divisia itaque per se ruit.

Tertia divisio a partibus corporis nostri desumta singularum deformitates solito modo enumerans majoris certe ponderis est, quam *Meckelio* videtur, et quae in anatomia pathologica speciali retineatur unice digna.

Nobis quidem anatomia pathologica sequenti modo tractanda videtur.

Praemittenda est librorum disciplinam

generatim sumtam illustrantium *) enumeratio critica, ne tirones fontibus careant necessariis, praesertim novissimis ideoque in compendiis ante editis non reperiundis, ne auctorum fide et reuerentia teneantur utraque indignorum, ac certis incerta, falsa veris immisceant.

Tum capita generalia sequantur, de statu corporis morboso, quatenus anatomico patet, de sectionum pathologicarum instituendarum rationibus et de illis quae sectione efficiuntur. De morbis, vitiis, monstrositatibus, vel generalioribus, vel singulorum corporis systematum, necessaria tradantur; sic v. c. notiones generales de inflammatione, de tumoribus rel. dentur, quatenus anatomice illustrari possint.

Anatomiae pathologicae parte generali hoc modo absoluta tuto tandem nosmet in specialem committimus, ubi autem organorum singulorum cum aliis nexum nunquam negli-

*) Libri de singulis capitibus agentes haec tractando enumerandi sunt.

gere, neque statum organi vitiatum tantum referre, sed quoad originem, effectum, signa expendere debemus.

Cap. IV.

De rerum pathologicarum ab anatomico tractandarum dignitate.

Clariss. vir capita de formae mutationibus primitivis agentia maximopere extulit, reliqua vilipendet, et in illos, qui huic non favent sententiae acriter invehit. Viri docti autem non est, disciplinae partes quas non diligit aut excolit, ideo spernere, vel viros qui his potius delectantur, lucri tantum vilioris caussa iis occupari, supponere. Si omnes iisdem doctrinis eodem modo incumberent, quam immerito hae reliquis praeferrentur, in scientiae damnum brevi animadverteremus, neque ullius disciplinae datur pars quae a viro docto sedulo tractata utiles fructus denegaret.

Quo accedit texturae mutationes a clar. viro posthabitas, ad unam omnes si attente

examinantur, non solum reproductionis ideoque etiam generationis negotium maximopere illustrare, sed medico practico scitu maxime necessarias esse! Is certe non sum qui monstrorum studium quod cl. viro praesertim curae cordique est, spernerem, sed *Bichatii*, viri celeberrimi disquisitiones de organorum textura institutas, quam recentiorum hypotheses de monstris saepe maxime dubias, majori laude dignas esse facile crederem.

Si anatomiam pathologicam autem undique augere et promovere vis, tum magis, ac hucusque factum est, comparatam reddas. Difficillimum quidem est et summum poscit studium, sed uberrimam promittit messem. Quibus enim hactenus fere commissa fuit medici veterinarii rem obiter tantum tractarunt; alia passim addiderunt naturae scrutatores et medici, sed quae habentur, nuspiam collecta et comparata sunt. *Camperi*, *Nebelii*, *Bergmanni*, *Ottonis* hanc circa rem bene merita non quidem inficias ibor, hujus tamen gravitas nimia est, quin tam brevi tempore a tam paucis ad perfectionis quendam gradum promota sit.
